

B. N. II, iis.
h. 27, 8.

(M877885)



Q. D. B. V.

DISSERTATIO POLITICA
De
TRANSITU COPIARUM

per
TERRITORIUM NOSTRUM,

Quam
Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,

In
ALMA LIPSIENSI,
alterâ vice

PRO LOCO

suo tempore in eâdem obtinendo

Eruditorum disquisitioni subicit

ad d. XV. Martii Anno MDCXCIII.

M. CHRISTIAN Ludwig/

Landeshutâ Siles.

LIPSIÆ, TYPIS GOEZIANIS.







AUSPICE JESU!

§. I.



N sit concedendus transitus? quæstio est & priscos inter populos mota, (a) & novissimâ hâc ætate disceptata, (b) nec de cætero inutilis ac infructuosa; haud indignum ea propter dissertationis Academicæ argumentum.

(a) Inter Israelitas & gentem Edomæam ac Amorrhæam, uti sacra pagina perhibet Num. XX. XXI. & Deut. II. Lacedæmonios atque Bocotios, Plut. in Vitâ Lyfandri: Batavos atq; Bonnenses apud Tacit. Hist. IV. cap. XX. Germanos sub auspiciis Friderici I. Imperatoris in Palæstinam iter facientis & Bulgaros. Otto de S. Blasio in App. ad Ott. Frif. f. 213.

(b) Gustavum Adolphum Sveciæ Regem & Pomeraniæ Principem, Chemnit. Bello Svecico-Germ. Vol. I. f. 41. Svec. & Polon. Manif. Svec. contra Polon. ap Londorp. t. VII. f. 1001. & nuper admodum inter Germanos & Helvetios.

§. II.

Hanc definiemus breviter, ut simul fiat lucide ac solidè, excutienda sunt singula, quæ causæ affundunt lucem, decisionibus addunt pondus.

§. III.

Quæstio est, accuratissimè ergo resolvitur in subjectum, quod transitus, & prædicatum, quod reliquæ voces constituunt; de utroque seorsim ac ordine.

§. IV.

Vox transitus nobis insinuat transeuntes, locum quâ transitur, populum quò transitur & transeundi actum.

A 2

§. V.

§. V.

TRANSEUNTES non sunt singuli, non pauci, (a) non inermes, sed exercitus magnus, sed populus totus. De cætero justè (b) bellet an injustè, pelliciat utilitas an premat necessitas, amicus noster sit vel inimicus, postulet transitum (c) an rectà pergat, transeat cum cautione vel sine eâ, perinde, modò super eâ re nondum fuerit conventum.

(a) His concedendum esse transitum, ubi honestam aut necessariam ob causam eo velint uti asserit Pufend. de Jure Nat. & Gent. lib. III. c. III. Enimvero fortè etiam paucis ex obligatione perfectâ non debetur transitus, obstante jure limitum at- que dominio. Sed quicquid sit, de paucis hîc non disquiritur.

(b) Justitia causæ parùm ad rem facit; salva enim æqualitate gentes pœnas poscendi jus non habent ob injurias ad se non pertinentes, sed in alios contra naturæ & gentium jus immaniter commissas. Joh. Joach. Zentgrav. in Jure Gent. art. III. §. 8. punit autem is quoque, qui pœnam (seu analogon pœnæ) promovet.

(c) Tres sententiæ sunt, una: ne quidem naturalem æquitatem requirere, ut postuletur transitus, transitumque non postulatum jure fieri: altera, postulandum prius esse, & si negetur, licitè vindicari, tertia: postulandum, eoque negatò, acquiescendum esse. Grot. lib. III. c. II. §. XIII.

§. VI.

LOCUS, quâ transitur, comprehendit terras, flumina, marisque partes; at non nisi occupatas & quæ inciso limite in proprietatem ivère; nam vacuæ, quæque instar theatri communis sunt, circulum tractationis nostræ haud quaquam ingrediuntur.

§. VII.

IS AD QVEM ET CONTRA QVEM transitur, quivis populus est, amicus, bene de nobis meritis, socius, omnium maximè vicinus; sit licet etiam injustæ bellandi causæ suspectus, at tamen sapientiorum unanimi judicio (a) injustitiæ nondum convictus: imò etiam convictus.

(a) Quod vix sperandum, cum neutri bellantium parti sui desint defensores, qui quò doctiores, eò plausibilius undecunq̄ue conquisitis argumentis, quæ prudentissimis imponere valent, falsam quoque sententiam tuentur, ut liquidò judicari nequeas utrius causa justior sit. Nam & bona causa malè & mala causa bene sæpe agitur.

§. VIII.

§. VIII.

TRANSITUS IPSE seu transeundi actus non pro perpetuâ servitute, (a) sed temporario & (si ita loqui licet) momentaneo rei alienæ usu supponitur.

(a) Quæ intuitu ejus, cui debetur, est jus certum emolumentum aut commodum ex re alienâ percipiendi, aut prohibendi, ne dominus sua re omnibus modis utatur. Dividitur in personalem & realem, ad classem posteriorem transitus pro servitute acceptus refertur, cujusmodi jus pacto quærendum est. vid. Seld. de Jur. Nat. & Gent. lib. VI. c. II.

§. IX.

Prædicatum constituit vox CONCEDENDUS, quippe an jus naturæ transitum præcipiat quæstio nulla est, an concedat inter doctos tantummodo controvertitur; (a) at concessione non nudi facti, (b) quam iniquus armorum terror furiosæque irruptionis minæ citra jus fasque ab impare extorquent; sed juris, quam æqua naturæ lex contra seu parem seu superiorem approbat, ita ut si violenter armis adversum ire possit, licitè ire non possit.

(a) Jus concessivum non minus nervosè depingit, quàm accuratè à præceptivo distinguit Venerandus noster Doctor Alberti. Jus concessivum, inquit, consistit in facultate morali ac in se liberâ ad agendum aliquid aut habendum justè. liberam dico, h. e. indifferentem, ut licitè in actum deduci possit & non possit; quo ipso facultatem moralem, in quâ consistit jus concessivum, distinguo ab eâ, quam præsupponit jus præceptivum justum. Nimirum & hoc, quia & quatenus justum est, jubet id tantum, ad quod faciendum facultatem quandam moralem in me habeo. At vero hæc, prout à jure præceptivo naturali prærequiritur, nunquam fuit in se liberâ seu indifferens, sed ob honestatem actus moraliter necessaria. Compend. Jur. Nat. Orthod. Theolog. conformati Part. II. Poleg. §. 32. p. 31.

(b) Concedendum quandoque esse transitum copiis nullo earum jure, sed de facto non minus inficias; ubi nempe impares sumtis resistendo, sic de facto concedendus fuit Agesilao, qui Regi Macedonum consultaturo dixit: consultet, nos in terea transibimus. Plutarchi. t. II. Opp. Agef. fol. 604.

§. X.

Sed quæ jure ac licitè fiunt, alia sunt juris perfecti (a) ac, si negantur, in civitate actionem, extra eam justificam belli causam pariunt: alia juris imperfecti, (b) quorum observatio alterius conscientia ac pudori relinquenda.

(a) Ad quod refertur liceat occupationem terrarum & insularum à possessoribus vacuarum rerumque quæ nullius sunt, cum hoc effectu, quo locus in theatro communi vacuus occupatur, de quo Cicero: theatrum cum commune sit, rectè tamen dici potest ejus esse eum locum, quem quisque occupavit lib. III. de fin.

(b) Talia sunt ad quæ agenda & ab aliâ gente postulanda gens equidem jus aliquod habet, sic tamen ut iis denegatis eidem non inferat injuriam, ut armis ea vindicandi plenum jus habeat. Addit Zentgravius de Jur. Gent. Artic. IX. §. 25. quandoque licetè denegari ea, ad quæ alia gens jus imperfectum habeat. Enimvero an satis rectè, dubito, nam qui licite negat aliquid, non est obligatus, ubi vero nulla obligatio, ibi nullum jus, sunt enim relata.

§. XI.

Utrumque hîc quæritur, hoc est, an jure pleno vel saltem minus pleno transire liceat? & quod cum pace aliorum fiat, utrumque meo judicio, illud tamen absolutè, hoc certo tantum casu negandum.

§. XII.

Ut breviter summamque omnia oculis subjiciam, in hoc controversiæ cardo vertitur, an copiis numerosis nec non armatis per alterius fines, præsertim adversus ejus vicinum jure concessivo pleno vel saltem minus pleno transire liceat?

§. XIII.

In definitione hujus problematis doctores haud leviter inter se dissentiunt atque discordant. Justo mitiores sunt transituris Scharrockius (a) Culpisius (b) ac in his literis omnium antesignanus strenuus Hugo Grotius; (c) qui tantum abest, ut ab armatis abjudicent transitum, ut potius negatâ, quàm eundem, viâ, vi armisq; pleno jure perumpi pleno ore pronuncient: paululum moderatior est sententia celeberrimi Zentgravii perhibentis, si negetur, haudquaquam posse vindicari. (d) Zieglerus, (e) Velthemius (f) & Grotii explanatores saltem non omnes (g) in omnia alia discedunt atque neutri nec perfecto nec (transitum pro re innoxia non habentes) imperfecto juri, in certo casu locum relinquere videntur; ultimis his & Pufendorfus calculum adjicit. (b)

(a) In

- (a) In libello de Officiis secundum Jus Naturæ, aucto à Reyhero, provocat is in confirmatiore ad textus è Jure Civili, quos Jctis relinquimus.
- (b) In Collegio Grotiano super Jure Belli ac Pacis, Exercit. III. §. 6.
- (c) De Jure Belli & Pacis lib. II. c. II. §. XIII. 1. 2. 3. 4.
- (d) In disquisitione de Origine, Verit. & Obligat. Juris Gentium, art. VII. §. II. p. 300. seq. ubi transitum iis annumerat, quæ sunt Juris Gentium dubii atque controversi.
- (e) In notis ad Grotium p. 234.
- (f) In introductione ad Hugonis Grotii J. B. & P. lib. II. c. II. p. 659.
- (g) Gronovius, Hennig &c.
- (h) Lib. III. c. III. §. 5. p. 362. seqq.

§. XIV.

Inter opiniones tam varias, tamque inter se dissidentes rationes prægantissimæ nos à parte rigidiorum (si quod ex omni parte justum, rigor dicendum est) stare jubent, hoc est: negamus ullo jure seu pleno seu minus pleno transiri, probaturi sententiam, ubi hypotheses utpote ejus fundamenta jecerimus, in eo prudentiores architectos imitati, qui non citius exurgere sinunt machinam molemq; quam firmissima fundamina, queis illa innitatur, posita fuerint.

§. XV.

Suppono proin, ut aliquid quod inter antistites juris, certè apud adversam partem infractæ habetur ac inconvulsæ veritatis, PRIMO (divinâ pronœa (a) interveniente pacto diviso per limites orbe) populos eorumque Rectores Principes, & quibus par Principibus jus obtigit, ex summâ, quâ pollent, libertate prorsus æquali societate æqualem eamq; summam potestatem exigente (b) junctos esse, in quâ, ut solius Dei totius mundi Monarchæ scepra reverenter adorant, sic nullius mortalium imperiosam dictaturam pati tenentur, (c) intercessionibus atq; monitis assurgere possunt.

- (a) Hanc ὀρθοδοσίαν τῆς κατοικίας approbat tum dictum Pauli: ἐποίησέν τε ἐξ ἑνὸς αἵματός πάντες ἔθνη ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πάντων τὸ πρὸσωπον τῆς γῆς, ὁρίσας ὁρίσας ὁρίσας καὶ τὰς ὀρθοδοσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν. Act. XVII, 26. tum fatales gentium & rerumpublicarum limites, ad quos, non ultra, feliciter victoribus progredi licet

et, exemplo sint Darius & Xerxes, qui Græciam mari à Persarum imperio separata infelicissimè aggressi sunt. vid. Cor. Nep.

(b) Quam αυτοκράτειαν ἐπὶ πάντι ἐξουσίαν τῆ κατ' ἑαυτὸν ἐν βίῳ ἀφειδίαν ἐν χρήσῃ καὶ ἐν κτήσῃ Plato appellat Def. f. 748.

(c) Minus proinde rectè Grasvinckelius infert, quòd societas quædam omnibus hominibus inter se sit, non licere tantum, sed in laude quoque esse videri, si genti injustè oppressæ succurratur, in Strict. contra Feld. p. 207. hæc quippe societas non introducit jus Rectorium, sed æquatorium, quod pro iniquè pressis intercedendi, non verò injurias oppressorum ulciscendi facultatem concedit.

§. XVI.

SECUNDO in gentium hæc vastissimâ societate divino regimini unicè ac absolutè relictâ socialia jura cum perfectâ vigere, tum imperfectâ. Illa ex factis pactisque, quibus gens in gentem sibi jus aliquod acquirit, oriuntur, vel etiam libertatem naturalem earum insequuntur; tantus quippe favor hujus semper extitit, ut ei contra quosvis sui turbatores jus suum armis prosequi licuerit: hæc communis mortalium natura hoc ipso confert, dum quemlibet ea, quæ innoxia utilitatis sunt, (a) cuique vel ignoto præstare jubet; officia humanitatis volo quæque vulgaria, quibus citra detrimentum vel molestiam nostram alterius utilitati inservimus; quibus addenda sunt beneficia, quæ cum impensâ vel operâ laboriosâ mens generosa seu proprio instinctu naturæ concitata, seu commiseratione fortis miserabilis tacta in alios confert.

(a) Res innoxia utilitatis eleganter describit Cicero: quas ad communem usum hominum natura genuit. Communia autem hominum videntur ea, quæ sunt generis ejusdem, quod ab Ennio positum in unâ re, transferri per multa potest:

Ut homo qui erranti comiter monstrat viam,

Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,

Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Una enim ex re satis percipitur, ut quicquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur cuique vel ignoto. Ex quo sunt illa communia, non prohibere aquâ profluente; pati ab igne ignem capere si quis velit; consilium fidele deliberanti dare; quæ sunt iis utilia, qui accipiunt, danti non molesta, lib. 1. Offic. 16.

§. XVII.

§. XVII.

Denique TERTIO hujusmodi jura imperfecta, quæ humanitatis officia exigunt (ex hypothese loquor) equidem induere aliam faciem, ac robore valoreque ex certis circumstantiis assumpto in perfecta mutari; sed tum demum, ubi subtracto officio indigus operæ meæ inevitabili malo periret, (a) nec alter æquè bene laboranti opem ferre ac succurrere possit, (b) nec periculum sit, ut subventurus iisdem necessitudinibus circumventus, iisdem fatis implicitus ipse ex imprudentiâ miserè peream, adeoque meâ ruinâ alterius salutem, morte meâ alterius vitam nimis charè ac incautè redimam. (c)

(a) In gravissimâ necessitate reviviscit jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansisset, item in omnibus legibus humanis, ac proinde & in lege domini summa necessitas videtur excepta. Hugo Grot. de J. B. & P. lib. II, c. II. §. VI.

(b) Omni modo tentandum an aliâ ratione necessitas evadî possit. id. ibid.

(c) Non concedendum hoc, si pari necessitate ipse possessor teneatur. Nam in pari causâ possidentis melior est conditio. ibid.

§. XVIII.

Jactis hoc modo fundamentis haud difficulter evincitur seu jus perfectum spectes seu imperfectum, neutro tamen deberi transitum.

§. XIX.

NON PERFECTO, nam i. talis modi transitus neutiquam extremæ semper ac inevitabilis necessitatis est, citra quam tamen in societate gentium, nisi super eâ re pepigere partes, nunquam plenum jus cum moratorum applausu quis impetrabit. Prodeant in scenam transituri, ut intimius inspiciantur. Vel exules sunt finibus expulsi, vel commercia exercentes, vel belligerantes; quorum hi, quod suum est, ab invasore repetere, illi victus aliarumque rerum causâ negotiari, isti sedes fixas exquirere satagunt. Nullibi immutabilis necessitas premit, & tanta, quæ conjunctissimum habeat interitum, nî transitus concedatur. Gens exul desiit jam esse gens, postquam cum finibus ac statione

B

status

status ac species reipublicæ concidit. Hinc partitâ multitudine hospitium ambiant, quò ipsis, qui provinciam suam uniti defendere nesciverunt, saltem ut singulis tutò vivere liceat. Commercium quærentes suas negotiationes eousque differant, donec ex pacto jus consequantur, contenti suæ regionis proventu haudquaquam adeò sterilis adeò incultæ, ut suos alere nequeat incolas. Extra naufragium vitæ non minus quam reipublicæ constitutos esse bello sua repetituros quivis perspectum habet.

§. XX.

II. Demus etiam ad incitas redigi maloque prorsus interencino affligi gentem aliquam, nihilominus non teneri nos præterea sic demonstro: cui ob communem statum humanitatis (nam officiis humanitatis annumerari solet transitus) reliquæ gentes vicinæ pari jure adstringuntur, illud citra sufficientem causam ad nos devolvî nequit. Nam in communi causâ læderetur æquabilitas juris; imò dum adhuc alio transiri potest, quid urget per nostrum iter fieri territorium? Ergo necesse est adsint certæ circumstantiæ, quæ sufficientem suggerant rationem cur per nostros agros licite transeat. Fortè quòd eum alii renuunt, aut etiam alibi non æquè commodè vel planè non transire licet. At enim vero nulla ex omnibus sufficit; non prima, obstante adhuc æqualitate; nec secunda, non enim licet sui commodi causâ aliis nocere; tertia speciem aliquam præ se fert, sed reverà tantum speciem ac umbram, quam subsequenti argumenti lux plane discutere potis est.

§. XXI.

III. Datâ transeundi licentiâ haud vanus metus est, fore ut æquè magnis difficultatibus implicemur, cum res periculosa alex plenissima sit transitus. Extremo certè discrimini Princeps se, suosque civitatemque suam indulgendo committit. Quid si ille, contra quem transportatur exercitus, maturè prod-eat obviam hosti ac callidè belli sedem in ejus constituat territorio,

torio, translata eò universâ belli mole tranquillitati infestissimâ? quid si virtute seu astu militi semel intromisso exitus interceptiatur castrisque in meditullio territorii nostri locatis, is, præsertim numerosior ubi fuerit, fruges terræ consumendo indigenas fame pesteque miserè conficiat? Quid si ex perfidiâ vel inveteratò odiò altâque mente reposito veteres jubeat migrare colonos ac metamorphosi in historiis admodum frequentatâ ex hospite rerum evadat dominus (a)? Jam vero si in iis quoque officiis, quæ saltem aliquali labore, impensâ & molestiâ constant nostris potius quàm aliorum commodis atque utilitatibus quandoque rectè litamus, (b) multò rectiùs in illis quæ ad internecionem usque periculosa sunt propria salus alienæ præfertur.

(a) Campani de exercitu Agathoclis Messanam specie hospitum ingressi, ut inde conscendentes in Italiam navigarent, ut viderunt opulentissimam urbem subigi posse, civibus interfectis uxores, filias, agros domosque eorum sorte inter se dividerunt. Polyb. 1.

(b) Quò pertinet locus Pauli: ἔ γάρ (succurrendum) ἵνα ἄλλοις ἀνεσίς, ὑμῶν δὲ θλίψις· ἀλλ' ἐξισότητ. 2. Cor. VIII. 13.

§. XXII.

IV. Firmissimum quoque causa nostra præsidium invenit in vi atque favore justæ amicitiae, quâ vicino nostro arctè jungimur, præsertim ubi eam magna in nos officia nec non præclara in civitatem nostram merita effecerunt. Talismodi quippe amica societas, ut quamcunque jacturam, quodcunque detrimentum à socio avertere jubet; ita tantum abest salvâ conjunctione aperiri posse viam exercitui hostiliter eum invadenti, ut potius omni nisu si non repellendus, saltem cohibendus sit, jure sociali ita volente, ceu ex eo liquidò constat, quòd in foederibus aliàs expressè solet conveniri, ne hostibus transitus concedatur. (a) Neque tollitur ista difficultas, si quis dicat transitum esse dandum, ubi justo bello alter petatur, negandum, si injustum ei fiat bellum. Nam neque dijudicatio hæc semper est expedita, &

temerarium habetur ultrò se duobus armatis velut arbitrum interponere ac tantam litem suam facere. (b)

(a) Ex historiâ Romanâ huc pertinet fœdus Romanum, quod cum Antiocho in hæc verba fere conscriptum fuit, amicitia Regi Antiocho cum populo Romano his legibus & conditionibus esto: ne quem exercitum, qui cum populo Romano focisq̄ue bellum gesturus erit, Rex per fines regni sui, eorumve, qui sub ditione ejus erunt, transire finito &c. Liv. lib. XXXIIX. cap. XXXIIX. E Teutonicâ fœdus Regiomontanum anno 1656. in quo Elector Brandenburgicus liberum per Borussiam transitum concessit Sveciæ Regi ejusq̄; hostibus denegavit. vid. Pacta Feud. Reg. Svec. & Elect. Brandenburg. art. VII. & IX.

(b) Pufendorf. lib. III. §. 5. p. 364.

§. XXIII.

V. Non minus denique ex jure limitum sententiæ nostræ robur accedit, cum enim intra cujusque gentis fines ejus quoque jura & imperia coerceantur, intra limites alienos se non extendunt; ut proin gens libera quævis jus habeat de rebus suis eorumque usu libere disponendi, quod minui manifestum est, si concedendus transitus. Certè sicut alia bona jure diminuto possidentur, quando liberum in illis non datur moderamen, sic ut libertas prædii rectè minui dicatur sive jure servitutis, sive de facto quis illud transeat, ita & libertas territorii, quod agrorum universitas est, minuitur propriâ autoritate inconlulto vel invito domino illud transeundo. (a) Fac etiam esse jus, limitatur ubi meæ securitati metuum, uti jus eundi per prædium urbanum, si tu frequenter iveris cum flammis & faculis, ut metus sit, ne damnum inferatur, non tollitur quidem, attamen restringitur ne cum flammis & faculis eas, sicque jus taliter eundi tollitur. (b) Excipi solet esse disparitatem, transitum per fundum minoris necessitatis & majoris servitutis, per territorium vero majoris necessitatis & minoris (sic loqui liceat) servitutis esse, ut cuivis de facili constet, cur hic quidem sine pacto, ibi vero non nisi interveniente eo concedendus sit transitus. (c) Verum enim vero nec publicus transitus semper necessarius; & quo molestior

stior est per fundum, quia creber eò periculosior est per territo-
rium, quia plurium. Res proinde adhuc in æquilibrio manet.
Accedit, quod unico quoque & rariori actu (cui jure pleno ad-
stringor) jus territorii infringatur.

(a) Zentgrav. de Orig. Verit. & Oblig. Juris Gent. art. II. §. 19. p. 713.

(b) Zieglerus Not. ad Grot. p. 234.

(c) Culpis. in Collegio Grotiano super J. B. & P. Exercit. III. §. 6.

§. XXIV.

NON IMPERFECTO jure obligor, cum enim publicus ejus-
modi transitus, uti evictum fuit, cum interitu nostro probabilis-
simè conjunctus est, salvâ internâ justitiâ salvaque conscientia
eum recusare valemus. Quicquid autem salvâ conscientia de-
negare licet, ad id ne imperfectè quidem obligor.

§. XXV.

Confirmatæ nostræ sententiæ neccenda est vindicatio ab ar-
gumentis quæ Grotius eumque sequentes urgere solent. In
horum examine & discussione eò, quò ab ipso proposita fue-
runt, ordine incedemus, ubi hypothesis, ubi thesis, ubi confir-
matio, ubi denique vindicatio ejus à recto deflectat, amore re-
cti modestè indicaturi.

§. XXVI.

Hypothesin Grotius geminam habet, unam: *productâ &*
post universalem cataclysmum restauratâ mundi machinâ statim
omnia & communia & indivisa omnibus fuisse; alteram: ex eo-
rum mente, qui primi dominia singularia introduxere, jus quod-
dam communiter hominibus competere in eas res, quæ jam propria
aliquorum factæ sint. (a) Prior, licet haud inepta, ad roborandam
tamen sententiam quàm neque satis firma, neque par sit, diffen-
sio inter viros summos summa docet & comprobat. (b) Fac ta-
men eam probandi nervo non destitui, posterior certè, ex quâ
veluti primo, proximo ac immediato principio justitiam causæ
sententiæque suæ infert, labascit, quâ vero infirmitate laboret,
inferius in confirmatione, ubi recurrit, edocendum est.

(a) lib. II. c. II. §. VI. l.

B 3

(b) Ne-

(b) Negant communionem Ziegler. Strauch. Osiander. Hennig. Martinus d' Esparza Artieda; quibus jungendus Da. D. Alberti in Compend. Juris Naturæ. Part. II. c. VII. §. 19. seqq. p. 138.

§. XXVII.

Hypotheses excipit thesis atque sententia ipsa, quæ ita habet: *Terra, flumina, & si qua pars maris in proprietatem venit, patere debent bis, qui transitu opus habent ad justas causas, si prius eum postulent & quidem sine dolo malo.* (a) Re aliquâ opus habemus seu ad capiendâ inde commoda, seu ad evitanda pericula sibi suæque reipublicæ prorsus fatalia. Commodi gratiâ populos haud rarò transitu opus habere, uti quàm lubentissimè concedimus, sic, an eum sæpe exigat extrema necessitas, meritò ancipites hæremus; certe casus à Grotio adductos in hunc censum venire planè pleneque negamus. Sed esto non minus summè necessarium quàm commodum esse transitum, probandum est Grotio aliisque à partibus ejus stantibus nos rigore juris concessui adstrictos esse.

(a) §. XIII. 3. 4.

§. XXVIII.

Probat primò *ratione, quia dominii autores id introducere voluisse censendi sunt cum receptione talis usus, qui prodest bis, illis non nocet; probat & hoc quod potuerint.* (a) Enimvero, non statim, quia potuerunt, etiam eò ipso voluerunt: *instat: credenda est mens eorum talis fuisse, ut quam minimum ab æquitate naturali recesserit.* Concedo in rebus arbitrii ubi æquitati naturali locus relinquitur, hîc verò res ab arbitrio humano exempta fuit, adeoque, non voluisse censendi sunt primi dominiorum statores. Sed nec potuerunt, cum finium illam discretionem, illud dominii stabilimentum tranquillitas, adeoque jus naturæ, tranquillam felicemq; consociationem intendens fortiter imperavit. Huic quicquid adversatur, de eo convenire primis integrum non fuit, vel si conventum aliquid dictumque, eo ipso indictum, si ratum fuit, irritum habendum est. Quam maximè vero

vero adversatur eidem exceptio necessitatis, & receptio talis usus, qui prodest his, illis non nocet, utpote quæ sufficientem possessionis securitatem pessumdat. O vana bonorum possessio, quæ, quoties alteri profunt, communia, id est non amplius mea sunt! possessio sine possidente, dominium sine domino! At hoc etiam datò, in rebus innoxia utilitatis licuisse, ista tamen conventio nullâ consequentiâ ad transitum extenditur, in eorum numerum neutiquam referendum, quæ profunt his, illis non nocent, vel maximè enim transitus nocet, & quid dico nocere eum, imo dirò exitio reipublicæ fuit & adhuc esse potest. Si ex lege necessitatis urgeatur, repono, quod in pari causâ possidentis melior sit conditio. Ergo sint arma iusta, postuletur prius & sine dolo malo transitus, perfectè tamen ad concessionem non obligamur. Adde insuper hoc, quod de iustitia armorum judicare difficile sit atque periculosum, fides etiam data sæpe frangatur, dum vel mille nova consilia præsertim exulibus fortuna ingeniumque in fraudem nostram facere potest. Deinde probat sententiam suam *exemplis* cum populi Dei tum gentium, qui postulaverint iter, recusatum vindicaverint. Verum enim vero quod attinet gentilium exempla, facti sunt potentiorum non juris, quibusque non favor iusti sed terror gladii viam aperuit. Nam fere prout cuique vires fuerunt, ita modestè aut fidenter transitum postulavit, aut eundem postulanti annuit vel abnuit. Hinc est, quòd non minorem exemplorum numerum in contrariam partem afferre liceat. (b) Sacra altioris sunt indaginis, leguntur ea in Mose (c) & agunt de Mose. *Hic, inquit, cum transeundum haberet per alienos fines primùm Idumæo deinde Emoræo bastulit leges: iturum se viâ regiâ, nec deflexurum ad possessiones privatas, si quâ re ipsorum haberet opus, justum pretium eis persoluturum; quæ conditiones cum repudiata fuissent, justum eo nomine bellum intulisset Emoræo.* (d) Hic

Hic verò meritò in dubio ponitur, an eo nomine debellatus fuerit Emoræus; quia alias eandem injuriam sibi ab Edomæis factam haud inultam ac impunitam dimisisset. (e) Nam & hîc, seu spectes Israelitas, quibus & lex necessitatis, & justitia causæ, & prævia humanissima postulatio patrocinabatur; seu Edomæos aspicias, quorum causam in se malam inhumana repulsa, ferociores minæ, ipse denique hostilis occursum prorsus desperatam reddebant, transitus vindicari poterat. Et ecce! nec per meditullium populus sanctus perripit, nec, ubi per extrema regionis transit, adversus eos hostilia induit, evidenti argumento transitum salvâ justitiâ fuisse denegatum. (f) Accedit & hoc, quod nullo modo populus Dei de secunda fortunâ armorumque felicissimo progressu dubitare poterat; Nam vano irritoque conatu restitissent inimici, quibus, uti quâ causam justior, ita armis potentior erat. (g) Esto quoque, quod hîc forte cum applausu excipi posset, Deum Edomæorum gentem ab internectione exemptam voluisse, idcirco bello ab Israelitis non infestandam, (b) esto, inquam, cæteris tamen paribus hæc intelligenda erant, nisi jura gentium atque fraternitatis violaret, ut taceam sine internectione vi etiam armatâ transitum potuisse fieri. Minoris momenti dubium esse judico, quando urgent Israelitas fiduciâ justî rectique tandem transivisse; id enim ex concessione factum esse, contextus evidentissime docet. (i) Sed ut ad Emoræos, contra quos sanctus populus arma arripuit, revertamur, sciendum hîc in explicandâ causâ belli ac omnimodæ deletionis aberrari. Erat ea non denegatus transitus, sed quia primò injuriâ, postmodum in desertum usque obviam eundo prælio ultrò laceraverant Israelem, (k) vel etiam quod Emoræus ex justo Dei iudicio extirpandus fuit. Prætextum ergo armorum Mosi fuit, quum petiit transitum, non causa. (l)

(a) §. XXX. l.

(b) Cum

(b) Cum Philippus Macedo prætextu ponendæ Herculi in ostio Istræ statuæ pacatum accessum ad religionem Dei per Scythiam petiisset, negavit Rex Atheas se toleraturum, ut exercitus armatus fines ingrediatur. Just. IX. 2. Similiter cum Helvetii in Galliam tenderent rogarentque Cæsarem, ut concederet per Provinciam Romanam proficisci, is respondit: se more & exemplo populi Romani non posse ulli iter per provinciam dare, & si vim facere conentur, prohibiturum lib. I. Bell. Gall. IIX. vid. Gronov. ad Grot. J. P. & P.

(c) Num. XX. 4-21. Num. XXI. 21-24.

(d) XIII. 2. 3.

(e) Num. XX. 21.

(f) l. c. v. 17 - 22.

(g) Deut. II. 4.

(h) l. c. v. 4. 5. seqq.

(i) l. c.

(k) Num. XXI. v. 21. seqq.

(l) Annumeratur enim septem populis excindendis Jos. III. v. 10. Gen. XV. v. 21.

§. XXIX.

Sed videamus tandem quomodo sententiam suam ab exceptionibus vindicare studeat; & quid vindicationi insit roboris. Ad primam: metuendam esse cum transeuntem multitudinem, tum gentem adversus quam transitur, regerit: *metum nec sufficientem esse, cum plures æquè ac pauciores juris naturæ possint esse observantes, neq̄, si sufficeret, metu tuo jus meum tolli.* At enim vero sufficientissimo metu utrinque urgeri territorii dominum optima rerum magistra experientia testata fuit cum permissio transitus sæpe pro justâ bellandi causâ allegata fuit, (a) transeuntes vero abs injuriis se aut non abstinuerunt, (b) aut rempublicam penitus opprimere moliti sunt & aliquando opresserunt. (c) Jus, cujus meminit, nullum est; & si quod esset, metu omninò tolleretur, certè infirmaretur, si inevitabili necessitate metuere cogamur. Nam anxie metuere servitus est, servitus libertatem evertit. Quid? sic ad Hobbesii castra transimus, qui in statu naturali obligationem ad actus externos tollit *ideo, quia securi esse non possumus, quòd alii eam observabunt in iis, quæ ad nostram spectant conservationem,* inde colligit:

C

ligit:

ligit: unicuique spem omnem securitatis suae in eo esse sitam, ut viribus artibusque propriis proximum suum vel palam, vel ex insidiis praecipuet, (d) quod argumentum Cumberland egregie exagitat & solide discutit. (e) Sed salva res est, modo advertamus Hobbesium esse qualicumque metu monstruosissimum dogma bellum omnium adversus omnes subdole elicere, nos non nisi esse gravissimo ac probabilissimo metu domino territorii, id quod suum est, jus nempe domini plenum candidè vindicare. Instat, horum incommodorum periculorumque cautionem praestandam esse: Bene, ergo justè metuimus, quia cautione opus est, si autem justè metuimus, justè quoque, quamdiu validè non cavetur, copias reprimimus. Sed videamus cautiones: *si inermes transeant copie; impensâ transeuntis praesidia conducantur; obsides dentur, divisim manibus copie transmittantur.* (f) Sed respondemus: primam gloriosae militum indoli exosam; secundam nimis sumptuosam, adeoque utramque moraliter impossibilem: tertiâ & quartâ caveri equidem ab transeunte, non vero ab eo, contra quem transitur. Ad SECUNDAM aliò posse transiri, respondet *jus transeundi sic planè interimi, si quilibet ita diceret, hinc ibi transire licitum esse, ubi proximum est commodissimum est, modo sine dolo malo postuletur transitus.* Quae cum superius jam discussa fuerint; hinc operâ superfedemus & finimus.

(a) Sveci anno 1655. inter causas belli Polonici justificas allegarunt Botio & Crockovio à Polonis contra se concessum fuisse transitum. *Manif. Svec. contra Polon.* ap. Londorp. t. VII. f. 1001.

(b) Legimus enim, quod exercitus transeuntes ne patria quidem inviolata habuerint. Quam dissimilis, inquit Plinius, nuper alterius Principis transitus, si tamen transitus ille, non populatio fuit. Cum abactus hospitem exerceret, omniaque dextrâ laevâque perusta & attrita, ut si vis aliqua, vel ipsi illi barbari, quos fugiebat, incederent. *Panegyri. 20.* Causam suggerit [Homerus: *αὐτὸς ἀφέλκεται ἀνδρῶν σίδηρος.*]

(c) Exemplum oppressae à transeuntibus reipublicae superius adductum fuit.

(d) De Cive c. III. §. 37. 27. c. V. §. 1. 2.

(e) De Legibus Naturae c. V. §. L.

(f) De J. B. & P. lib. II. c. II. §. XIII. 4.

COROL:

COROLLARIA.

I.

Cumberlandus ex risu & fletu hominis socialitatem ejus rectè infert. Disquisit. de LL. Nat. p. 146. seqq.

II.

Diffidium quandoque omni studio alendum est.

III.

Deus ne quidem absolutâ suâ potentia eum qui peccator non est, sed innocens & extra culpam, tractare potest ac si esset peccator gravissimus.

IV.

Cornelius Martini neutiquam absurdus est statuendo: per divinam omnipotentiam fieri posse, ut unum aliquod individuum creatum, sive id spirituale sit, sive corporale, constituatur in diversis ubi. in Analyfi Logicâ.

V. Ter-

QK 77 5194

V.

Terræ motus ventis & fulminibus
subterraneis est adscribendus.

VI.

Rectè asseritur præscientiam neces-
sitantem tollere rerum contingentiam.

VII.

Ut in Phisophia, sic in Medicina, Ju-
risprudentia & Theologia disputare,
nec tamen logicè disputare, contra-
dictio est.



1077



B. M. II, iib.
fr. 27, 8.

D
TRA
TER
Consens

M

ICA
ARUM
RUM,
philosophicæ,
I,
endo
III.
wig/

II R
5198

